



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. III. Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis & vini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

effusus, facta consecratione in triduo futurus fuisset per concomitantiam sub specie panis, nam sanguis fuisset intra venas.

Sed dubium est utrum tunc sanguis positus fuisset per modum continui? sermo autem est de toto sanguine, etiam si extra Sacramentum in varias partes esset diuisus.

Afferat Suarez disput. 51. sect. 3. §. sed quæres alter, quia per formam significatur per modum vnius, item ex vi verborum ponitur indistans, ergo continuus, cum res liquida indistans loco inter se continetur. Verius tamen videtur quod non, quia illa continuitas neque est necessaria ad veritatem formæ, neque alio capite tenemur eam asserere, cum ergo sit conformis institutioni huius Sacramenti, ut sanguis ponatur sub specie vini commodo, quo est in statu naturali quoad rationem continui vel discontinui, probabilis est quod partes sanguinis in statu naturali non continuæ non continuarentur in hoc Sacramento.

Nec obstat vnitatis formæ, quia per eam optime potest poni sanguis discontinuus, si in statu naturali sit discontinuus. non etiam obstat quod partes sint in eodem loco; quia optime fieri potest, ut partes liquidæ ratione aliquâ supernaturali, & spiritali simul ponantur, & tamen discontinuæ.

Aduerte ea, quæ ex vi verborum & per concomitantiam in hoc Sacramento ponuntur, non ponuntur vni, eademque actione sed pluribus, ut discurrenti facile patere potest; quia tamen huiusmodi actiones tendunt ad hoc mysterium ex diuinâ ordinatione complendum, possunt aliquo modo dici vna actio coordinatione.

Petes, quâ certitudine sit tenendum aliqua in hoc Sacramento inueniri per concomitantiam? Hunc modum insident heretici vt varij recentiores referunt; quod ex altiori errore procedit, nimirum ex eo quo docent vel Christum non esse in hoc Sacramento secundum rei veritatem, sed tantum in figurâ, vel non esse totum sub singulis speciebus: Catholici verò passim recipiunt hanc distinctionem, quâ dicitur aliquid esse in hoc Sacramento ex vi verborum, alia verò per concomitantiam. & quidem aliqui sentiunt esse de fide aliqua poni in hoc Sacramento per concomitantiam, vt Valquez disput. 185. cap. 2. num. 20. Alij censent non esse quidem de fide, sed esse ita certum, ut contrarium sit erroneum & temerarium. Suarez sect. 3. citata in principio. & quidem illud posteriorius verum est, cum enim passim Theologi id doceant, id quæ tradat Trid. & ex fidei principijs deducatur, non potest sine temeritate & errore negationem videri tamen de fide, quia nusquam ab Ecclesia, tanquam de fide, proponitur.

Dices 1. traditurâ Trid. cap. 3. sect. 13. Resp. doceri quid, & ideo rem esse certam, non tamen proponi, ut de fide, neque sequitur non esse certam, eo quod non sit de fide, cum satis constet multa esse certa in Ecclesia, quæ nondum sunt de fide.

Dices 2. in fine capitis vltimi illius sess. ante canones dicitur: Quoniam autem non est satis veritatem docere, nisi detegantur & refellantur errores, placuit sanctæ Synodo hos canones subiungere, ut omnes iam agnita catholica doctrinâ intelligant quoque, quæ ab illis hæreses cauere vitarique debent; igitur quæ illis capitibus traduntur pertinent ad doctrinam, sunt de fide.

Resp. neg. consequentiam, si consequens intel-

ligatur de omnibus etiam ijs punctis, quæ alibi tanquam de fide non sunt tradita; nam illud dictum Concilij, *ut omnes iam agnita catholica doctrinâ &c.* verificari potest, licet non singula puncta in capitibus tradita sint de fide, quia sufficit ijs capitibus doctrinam de fide in aliquibus locis traditam fuisse, licet non omnibus, quibus autem locis tradita sit doctrina, quæ sit de fide, aliunde est discipiendum, utrum scilicet in aliquo alio generali Concilio sit definita, vel ex Scripturâ, vel traditione &c. habeatur de fide, vel clarè in ipso Concilio proponatur, tanquam de fide.

Contra ipsam doctrinam quæ asserit aliqua hic esse per concomitantiam arguitur, quod si diuinitatem & tres personas diuinas excipias, alia quæ in hoc Sacramento ponuntur, debeant iuxta supra dicta poni per efficientiam aliqualem formæ physicæ scilicet, vel moralem; forma autem efficiat significationem: unde videtur sequi quod nihil efficiat nisi quod significat, atque ita omnia quæ hic sunt ponantur ex vi verborum.

Resp. neg. sequelam, licet enim forma concurrat mediâ significatione, potest tamen suo modo causare id quod non significat, & quod ad veritatem formæ non requiritur; potest inquam causare, quia potest attingere tanquam connexum illi quod poni debet vt forma sit vera.

Dices ipsa verba id ponunt, ergo debet dici poni vi verborum.

Resp. neg. consequentiam iuxta sensum quo consequens passim ab Ecclesia & Doctoribus intelligitur; nam poni vi verborum est poni quia verba ad sui veritatem id exigunt, sine quo non verificantur, quomodo non ponuntur ea quæ dicuntur poni per concomitantiam, quamvis dicantur poni per verborum efficientiam, quæ se se potest extendere ad ea, ad quæ non se extendit significatio propter rationem allatam.

ARTICVLVS III.

Utum sit totus Christus sub quâlibet parte specierum panis & vini?

NOTANDVM S. Th. velle quærere, nū sub quâlibet parte speciei panis sit totum corpus Christi, & sub quâlibet parte speciei vini sit totus sanguis eiusdem, vt satis patet ex illius discursu.

Refert quorundam opinionem asserentium quidam factâ specierum diuisionem totum Christum esse sub singulis partibus specierum, non tamen esse totum sub ipsâ ante diuisionem.

Respondet verò totum esse sub singulis partibus non solum factâ diuisione, sed etiam ante illam, seu hostiâ remanente integrâ, prior pars est de fide tradita in Concilio Flor. §. tertium, vbi dicitur, sub quâlibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecratæ separatione facta totus est Christus. & in Trid. sess. 13. can. 3. vbi dicitur anathema negantibus in hoc Sacramento sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri. idem traditur can. singulis, quem aliqui tribuunt Ambrosio, alij Hieronymo, & can. vbi pars qui tribuitur Hilario Papæ, de consecratione dist. 2.

Probat. factâ diuisione specierum vel corpus est sub quâlibet parte earum, vel sub aliqua tantum, vel sub nulla: tertium dici non potest, quia per diuisionem

Obiectio
nihil poni
per concomitantiam.

Resp.
Forma potest suo modo causare id, quod non significat; quatenus potest attingere tanquam connexum illi, quod poni debet vt forma sit vera.

IO.
Sensus D.
Th.

Quorundam opinio.

Resp. affir.

Florent.

Trident.

Can. sing.

Can. vbi

pars.

uisionem species non pereunt, vt suppono; remanentibus autem speciebus corpus Christi sub ipsa dem permanet, vt habet communis sensus. non potest etiam dici secundum, quia non est maior ratio vnius quam alterius; restat igitur vt dicamus esse sub singulis.

Confir. 1. separatione facta omnes, & singule partes specierum adorantur, igitur sub singulis est corpus Christi & Christus; maximum enim committeretur sacrilegium, si Christi corpus sub nulla parte lateret, & sacerdos exponeretur eiusdem sacrilegij periculo, si tantum esset sub aliqua; quod patet, quia nesciens, sub qua parte sit corpus Christi, sub qua verò non sit, omnes & singulas partes adorat.

Confir. 2. si non sint sufficientes hostie consecratae, interdum solent frangi, vt communio præbeatur fidelibus, quæ praxis declarat sub singulis partibus specierum separatione facta corpus Christi contineri.

Confir. 3. non potest dici quod facta separatione alia substantia sub speciebus substituatur, igitur dicendum sub illis Christi corpus remanere, cum accidentia panis de facto nunquam sint sine subiecto inhesionis, nisi corpus Christi sub illis existat.

Confir. 4. totus Christus est sub hostia consecrata ante fractionem, ergo & post, cum per diuisionem non tollatur consecratio.

Ex his quidem patet sub singulis particulis specierum panis, separatione facta corpus Christi remanere saltem secundum aliquid sui, non tamen patet quod totum remaneat. verum ex paulò post dicendis id patebit; & ex eo etiam potest ostendi, quod forma, per quam corpus positum est sub speciebus, indicet illud totum constitui vbicumque constituitur, si ergo sit sub singulis speciebus, est totum. Antecedens probatur, hæc propositio, *hoc est corpus meum*, ad sui veritatem requirit totum corpus poni sub eo de quo enuntiat, & sub quo ponitur per respectum ad huiusmodi formam, cum ergo ponatur sub singulis partibus, separatione facta vi formæ & per respectum ad illam, conficitur debere totum poni.

Confir. sub singulis partibus separatis corpus Christi existit cum anima, sanguine & alijs, quæ in statu naturali habet, igitur totum existit. consequentia probatur, anima non solet informare partem corporis minus principalem, igitur non debemus asserere talem corporis partem constitui sub aliquâ parte specierum, cum ea pars non informaretur anima absque miraculo, quod non potest ostendi huic mysterio necessarium. quæuis autem partes præcipuæ possint animâ informari etiam alijs abientibus, v. g. licet possit anima informare corpus humanum carens brachijs, tibijs, non debet dici huiusmodi corpus hic poni, cum dedecet corpus Christi esse mancum, & quodammodo monstruosum restat igitur vt vbicumque est anima Christi, habeat corpus quoad organizationem, & omnes suas partes integrantes perfectum, atque vt vbicumque ponitur in hoc Sacramento, totum constituatur.

De secundâ parte responsionis aliqua est difficultas. itaque

D V B I V M 1.

An totus Christus sit sub singulis partibus hostie ante earum diuisionem?

S V N T qui censeant quod licet totus Christus sit in tota hostia, non sit tamen in qualibet eius parte, sed tantum in ijs, in quibus separatis posset consecrari substantia panis, aut vini. ita Alensis 4. parte summæ q. 40. membro 3. art. 3. in fine. Bonau. dist. 10. 1. parte dist. art. vñico quæst. 5. Gab. lect. 80. in can. missæ ad primum dubium littera T.

Altera sententia tenet totum Christum esse sub singulis partibus specierum etiam ante earum diuisionem. ita D. Th. hic, Sorus dist. 10. quæst. 1. art. 3. & communiter Doctores, quæ sententia est certa, pro qua

Dico 1. corpus Christi ponitur in hoc Sacramento modo indiuisibili, non autem quantitatiue; unde fit vt nō ita sit in hoc Sacramento vt totum sit in tota hostia & pars in parte per quandam commensurationem quantitatiue sui cum speciebus.

Probatur, corpus Christi in hoc Sacramento non habet extensionem localem; ergo non ponitur modo quantitatiue, sed indiuisibili. consequentia patet. Antecedens verò probatur, non habet figuram externam, alijs enim posset videri, tægi, posset notari mollietis carnis, durities ossium, quæ omnia sunt falsa & aperte contra sensum. præterea figura externa corpori humano proportionata (qualis esset concedenda corpori Christi, ne alijs poneretur monstruosum) non potest villo modo proportionari speciebus panis; vnde corpus vi verborum positum deberet secundum aliquas suas partes esse extra panem, quod voluntarie fingitur; vel si dicatur non esse extra panem, dicendum erit non habere iustam suam quantitatem, quam habet in cælo; quia quantitas specierum non adæquat villo modo quantitatem corporis Christi quam habet in cælo; vel dicendum erit, quod habeat quidem quantitatem, sed quod non sit quoad illam totam modo quantitatiue, quod rursum dicitur sine fundamento. adde quod modus quantitatiue sese habendi corporis humani totus alius sit à modo specierum, & si dicatur corpus Christi non esse extra hostiam, aliquæ partes hostiæ deberent manere non consecratae, contra veritatem formæ, quæ profertur supra totam hostiam, & ad sui veritatem requirit consecrationem totius. Porro aliquas partes non futuras consecratas patet, quia cum figura hostiæ rotunda, vel quadrangularis &c. nō proportionetur figuræ corporis humani, si corpus humanum ita constituitur sub speciebus quantitatiue, vt non occupet maius spatium, aliquæ partes hostiæ debent non continere corpus, cum fieri nequeat vt duæ res, quarum figuræ sunt planè disproportionatæ, ita eodem ambitu claudantur, vt neutra sit extra aliam.

Nec obstat quod Aug. epist. 57. ad Dardanum dicat: *spatia locorum tolle à corporibus & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.* non enim vult ne per diuinam quidem potestatem corpora posse constitui in indiuisibili, sed quod secundum naturalem exigentiam postulent esse in loco quanto, atque adeo, quod naturaliter non possunt esse in rerum natura, nisi existant modo diuisibili.

Dices repugnat spiritui existere quantitatiue & diuisibiliter, ergo videtur etiam repugnare corpori existere indiuisibiliter.

Resp.

Per diuisionem non tollitur consecratio.

11.

Post diuisionem esse Christum totum sub singulis particulis specierum.

Resp. neg. consequentiam, cum enim spiritus non habeat partes, nulla ratione fieri potest, ut existat modo quantitativo & diuisibili, quia existere modo diuisibili est ita commensurari, ut totum sit in toto & pars in parte, seu pars locati commensuretur parti loci, atque adeo una pars sit extra aliam. Id verò quod habet partes bene potest diuina virtute ita constitui ut omnes eius partes sint in eodem puncto, & ubi una est, ibi sit altera. Ex his

Dico 2. totum Christi corpus est sub singulis partibus specierum panis ante earum diuisionem, atque adeo sub singulis partibus est totus Christus.

Probat, corpus Christi per verba consecrationis positum sub tota hostia consecrata, quia tota hostia praesens est consecrabilis, ut alibi est ostensum, & intentio sacerdotis fertur in totam materiam praesentem, ut suppono, verba etiam ad sui veritatem requirunt ut tota hostia consecretur; ergo corpus Christi est sub tota hostia, ergo sub singulis eius partibus, cum non posset esse sub tota, nisi aliqua tandem ratione sit sub singulis partibus, atque non est modo diuisibili & quantitativo sed indiuisibili, ut superiori conclusione est ostensum, igitur sub singulis partibus est modo indiuisibili, & proinde totum. Confir. nulla est particula in pane, sub qua non esset panis substantia, ergo post consecrationem non est illa pars specierum sub qua non sit corpus Christi, cum ergo ibi sit modo indiuisibili, nulla est, sub qua non sit totum corpus Christi, ex qua ratione soluitur fundamentum prioris sententiae, quia ideo asserit totum Christum non esse sub quavis particula ante separationem, quia substantia panis non potest sub quavis tali particula separata permanere, quod fundamentum nullius est momenti; inde enim tantum sequitur corpus Christi non remanere sub huiusmodi particulis separatis, non verò sequitur quod nequeat remanere sub ipsa eadem coniunctis, cum sub illis ante separationem posset substantia panis inueniri.

Probat 2. conclusio ex absurdo, quod contra priorem sententiam inferri potest; ex illa enim sequitur corpus Christi per consecrationem non poni sub hostia, quod ostenditur: non ponitur sub partibus, sub quibus separatis substantia panis remanere non posset, atque nulla est hostia consecrata, quae non possit diuidi in tales partes, sub quibus non possit remanere substantia panis, & quidem ita diuidi, ut omnes partes tales sint: ponamus enim partem, sub qua separata substantia panis non posset remanere, esse vigesimam, ergo si species in viginti partes aequales diuideretur, sub nullis esset corpus Christi, ergo nec est sub illis ante diuisionem, ergo nullo modo per consecrationem est sub hostia, secunda consequentia patet ex principiis illius sententiae.

Dices inueniri partes sub quibus substantia panis posset remanere.

Resp. ita esse, sed dico illas constare partibus, sub quibus panis substantia permanere non posset, & ad tales partes deueniendum ut totum continuum in eas possit resolui. neque enim est concipiendum in pane esse partes v. g. decem, sub quibus separatis eius substantia posset remanere, quae ita se habeant, ut illae ipsae non possint ulterius diuidi in alias, sub quibus forma panis non posset inueniri.

Probat 3. cum non sit assignare partem tantam in hostia, quae cum alia non efficiat par-

tem, sub qua separata panis posset existere, efficitur non posse assignari tam parua, sub qua totus Christus non existat, cum sub huiusmodi parte non existat modo diuisibili.

Ex his & alijs quae possent congeri patet hanc sententiam ita esse certam, ut alia non solum sit probabilis, sed sit etiam erronea, cum ex ea manifeste deducatur aliquid fidei repugnans, ut patet ex secunda probatione.

Sed dubitari potest num etiam sit censenda haeretica? Sotus art. citato. §. nihilominus profecto, censet aequè certum esse totum Christum esse sub speciebus ante diuisionem, atque certum est sub ipsa eadem manere post diuisionem: contrarium tamen est verius, nam totum Christum esse sub singulis specierum partibus separatione facta certum est de fide, ut patet ex definitionibus Ecclesiae allatis, atque adeo id negare est haeticum; Ecclesia verò nullibi definiuit totum Christum esse sub singulis partibus specierum ante separationem.

Dices Trid. sess. 13. cap. 3. in fine tradit totum & integrum Christum esse sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totum item sub vini specie & sub eius partibus. Vasquez disp. 188. cap. 3. num. 17. respondet doctrinam Concilij intelligi de partibus post separationem, ut patet ex can. 3. eiusdem sess. sed

Resp. verius quidem esse, quod etiam intelligatur de partibus ante separationem, non tamen propterea rem constitui de fide, quia non quidquid continetur in capitibus, proponitur tanquam de fide credendum, ut censent varij, & praecedenti art. ostendimus.

Porrò doctrinam etiam intelligendam de partibus ante separationem suadet 1. ex eo quod verba generalia hunc sensum patiantur, & sumpta in sua vniuersalitate in eo sint accipiendae; sumenda autem in vniuersalitate patet ex eo quod propositio sit dogmatica, quae iuxta verborum capacitatem aequiualeat vniuersali. suadet 2. ex eo quod in cap. non ponatur, separatione facta, quod ponitur in can. 3. cum tamen facile poni potuisset, si Concilium doctrinam capituli intellexisset sub eadem restrictione, sub qua expressit suam definitionem, ut quid enim varius ille modus loquendi, si eandem rem volebat tradere? tum ergo propter hanc Concilij doctrinam, tum propter rationes factas, quarum aliqua deducitur ex principiis fidei, opposita sententia videtur erronea, nondum tamen videtur censenda haeretica.

D V B I V M II.

Utrum totum Christi corpus sit sub indiuisibilibus hostiis consecrate?

NEGAT Scotus dist. 10. q. 9. §. hic dicitur, & Neg. Scot. Alij quos sequitur Vasquez disp. 189. cap. 4. Vasq.

Alij asserunt, Sotus d. 49. q. 4. art. 6. §. vnde ad argumentum Durandi, & plures recentiores; quorum sententia verior est. vnde

Dico corpus Christi est sub singulis terminis, & punctis veris, vel imaginabilibus specierum.

Probat ex eo quod corpus Christi sit in hoc Sacramento per modum continui, praesentia autem continua alicuius requirit, ut sit sub omni puncto copulante quantitatis eius, sub quo dicitur esse, vnde necesse est corpus Christi esse sub quouis puncto copulante, de terminantibus idē probatur.

Non est ab Ecclesia definitum totum Christum esse sub singulis partibus specierum ante separationem.

Propositio dogmatica aequiualeat vniuersali.

Neg. Scot. Alij asserunt. Sotus d. 49. q. 4. art. 6. §. vnde ad argumentum Durandi, & plures recentiores; quorum sententia verior est. vnde

ex eo quodd sit in toto spatio hostiae, & proinde etiam in eo quo est eius terminus.

Dices 1. substantia corporis Christi succedit substantiae panis, ergo tantum ponitur sub eo, sub quo praerat panis substantia, atqui illa non erat sub indiuisibilibus.

Resp. 1. neg. minorem, cum enim illa indiuisibilia sint accidentia, necesse est naturaliter illis respondere substantiam, cui insint, quae nulla alia potest assignari praeter panem.

Resp. 2. neg. priorem consequentiam, quamuis enim corpus Christi non ponatur per se sub aliquo, sub quo non praexistebat substantia panis, si tamen necesse sit esse sub aliquo ut existat per modum continui, dicendum est poni sub illo per concomitantiam, etiamsi forte substantia panis sub eo non praexistat.

Dices 2. ex solutione sequi, facta specierum diuisione Christum incipere de nouo esse in extremis indiuisibilibus, quod tamen non est concedendum, cum per separationem non fiat consecratio.

Resp. neg. sequelam, ibi enim antea praexistebat, quamuis non denominaretur esse sub puncto, quia extrema ante diuisionem nondum erant.

D V B I V M III.

Quoties ponatur Christus in hoc Sacramento ante specierum diuisionem?

16.

Esse infinites suaderi potest.

V I D E R I potest poni infinities. cum enim ponatur modo indiuisibili, non requirit spatium quantum, sed potest collocari in puncto, & proinde existens sub specie, toties existit quot puncta possunt in illa concipi, siue inueniantur a parte rei, siue non. unde cum in continuo sint, vel possint concipi inesse infinita puncta, dicendum videtur corpus sub singulis hostijs infinities existere.

Suadetur esse certo numero replicationu.

Ex altera parte videtur existere certo numero replicationum, toties scilicet, quot sunt partes in hostia, quae separatae valeant existere.

D. Thom. vult esse tantum semel.

Aliter. Bonan. Sor. Defenditur esse tantum semel.

Nihilominus sententia D. Tho. hic responsione ad 1. est corpus Christi tantum semel esse sub speciebus panis ante diuisionem, quam sententiam videtur supponere Albertus in 4. dist. 13. art. 11. & sequitur Bonan. dist. 10. 1. parte dist. art. vnico quaest. 5. Sotus eadem dist. quaest. 1. art. 3. citato §. nonnulli, & plures alij. quae sententia est omnino verior, quia corpus Christi hic ponitur per modum cuiusdam continui, quemadmodum anima vnica & semel existens coexistit corpori quanto. vb.

Existentia corporis Christi in vna parte hostiae dependet ab existentia eiusdem in alia.

Aduerte quodd licet post separationem partium specierum corpus dicatur saepius esse, nec tamen ponatur de nouo, vbi antea non erat (cum separatio, quae etiam a laico fieri potest, non sit consecratio) per separationem tamen incipiat habere plures praesentias totales a se inuicem independentes, ante separationem vero vnica habeat, existatque in singulis partibus hostiae cum mutua connectione. nam existentia corporis Christi in vna parte hostiae dependet ab existentia eiusdem in alia & e contra, ita ut si desineret esse in vna parte, specie existente integra, desineret esse in qualibet alia, & existentia in parte dependet ab existentia in toto; semel ergo existit actu existentia adaequata, & ut ita dicam totali per modum cuiusdam continui per simplicem sui diffusionem.

17.

Probat, hic modus videtur possibilis, atque adeo

anima videtur ita coexistere corpori quanto: item Angelus spatio quanto: conuenientius etiam ponitur, cum hac ratione euitentur variae difficultates, quae in alijs sententijs nequeunt euitari. Nam primus modus dicendi admittit infinitum actu: si enim corpus Christi sit infinities in hostia consecrata, ergo dantur infinitae actiones, quibus vel corpus producat, vel saltem adducatur, atqui iuxta receptam Philosophorum & Theologorum sententiam non datur reipsa actu infinitum, quidquid sit de possibili, ergo. praeterea primus modus idcirco videtur a quibusdam inuentus, eo quodd corpus Christi sit sub infinitis punctis, propter quod tamen non sunt necessarij admittendae actu infinitae replicationes corporis Christi: nam quamuis mens aegre capiat quomodo indiuisibile, vel indiuisibili modo existens possit coexistere rei quanta vel spatio quanto, id tamen necessarium est asserendum, nisi dicamus continuu componi ex indiuisibilibus, quod ostenditur: Angelus per leucam diffusus non tantum dicendus est existere in punctis illius leucae, sed etiam in partibus quantis, ita ut si quis velit Angelum esse in loco quanto per actuales replicationes, vna replicatio debeat coexistere spatio quanto, quod similiter dicendum est de corpore Christi, si dicatur esse in hoc Sacramento per actuales, & distinctas replicationes: nam per aliquas debet coexistere parti quanta hostiae: quodd si vna replicatio necessaria sit dicenda coexistere rei quanta, dici potest ipsum corpus semel positum modo indiuisibili per modum continui existere sub tota specie & singulis eius partibus vnitis, cum in posteriori non appareat maior difficultas, quam in priori, & hoc modo euitetur actu infinitum.

Secundus modus dicendi, praeterquam quodd dubio primo sit refutatus, quatenus asserit corpus Christi in hoc Sacramento tantum esse sub partibus specierum quae separatae possunt existere, non euitat difficultatem quodd iuxta illum sit dicendum sanguinem Christi posse saepius consistui sub speciebus vini, quia initio positus fuerat. ponamus enim quodd vinum constaret quinque minimis cum consecraretur, ex quo iuxta illam sententiam sanguis quinques fuerit positus sub speciebus per consecrationem; si species ita rarefiant ut sint sex minima, dicendum erit sanguinem sexies poni, quodd videtur absurdum, quodd si dicatur solum futurum quinques, ergo sub aliqua parte specierum carente subiecto substantiali non latet Christi sanguis, quodd etiam est absurdum, cum accidens nunquam sit sine subiecto extra hoc Sacramentum. Praeterea sub qua parte non est sanguis Christi? hic nihil solide dici potest, nam quacumque parte assignata petetur cur potius non est sub illa, quam sub qualibet alia, & ad difficultatem augendam ponantur omnia quinque minima aequaliter esse rarefacta, certe non est quodd eo casu potius sit, vel non sit sub vno minimo, quam sub alijs.

Dicit aliquis Deum determinatrum sub quo minimo sit futurus. Verum id fieri nequit sine miraculo non consentaneo huic Sacramento, quodd minimè est asserendum, praeterquam quodd incidatur in absurdum quodd aliqua pars specierum post earum consecrationem careret subiecto substantiali, nec tamen Christi sanguinem tegeret.

Diceretur forte quodd etiam eo casu sanguis solum quinques quidem sit futurus sub speciebus, sit tamen futurus sub qualibet parte, vna replicatione se diffundente. sed hic recurrit difficultas in assignanda

assignandâ parte, ad quam se diffundit replicatio. verum, vt concedatur quod assumitur, ponamus illa minima, sub quibus dicitur esse vnica replicatio sanguinis, separari, & separata permanere in rerum natura, quæro an sub vtroque separato sit corpus Christi, an non? si dicatur prius, sapius ponetur post separationem quàm antè, quod tamen illa sententia refugit, & censet absurdum. si dicatur posterius, ergo sub aliquâ parte specierum remanente definit esse sanguis Christi, quod est falsum, & repugnat communi sensui Ecclesiæ, quæ censet Christum Dominum tamdiu remanere sub parte speciei separatâ, quamdiu illa remanet sensibilis. adde quod iuxta responsonem vna replicatio sub pluribus minimis esse possit, & proinde non obstat quò minus dicamus corpus semel esse præsentia adæquatâ sub totâ hostiâ.

Contra resolutionem obijcitur quòd corpus Christi sæpius existat post separationem specierum; igitur etiam antè debet sæpius existere. Consequentiâ patet ex eo quòd diuisio non sit consecratio.

Resp. neg. consequentiâ. pro quo

Notandum quòd licet diuisio non sit consecratio, per eam tamen fiat vt partes specierum quæ antea erant continuæ, & componebant vnum totum, sint discontinuæ & tota, atque adeò independentèr à se inuicem existant. vnde licet per diuisionem non fiat, vt corpus Christi quod antea sub speciebus non erat, sub iisdem collocetur; per eam tamen fieri potest vt pluries sit quàm antè: consecratio ergo est causa cur corpus sit sub speciebus, continuas verò vel diuisio partium specierum suo modo est causa cur vel semel sit, vel sæpius: cum enim partes specierum sunt inter se continuæ & vnum, contentum sub illis constituitur per modum vnius & cum dependentia sui ipsius, prout est in vnâ parte, à se prout est in aliâ, atque adeò vnâ habet existentiam adæquatam; cum verò partes specierum diuiduntur, corpus Christi est sub singulis independentèr ab alijs, & discontinuè iuxta specierum existentiam. ex quo

Patet quòd per diuisionem partium specierum nulla noua entitas producat, quia sæpius existere eo casu non addit vllam entitatem, sed solum dicit id quod antea continuè existeret & per modum vnius, iam existere discontinuè, sicut accideret in animâ, si Deus illam in brachio abscisso conseruaret.

Ex dictis sequitur quòd si consecratis duobus calicibus species commisceantur & continuentur, sanguis qui antea bis ponebatur, semel sit futurus, & habiturus vnâ adæquatam existentiam.

Nec obstat quòd duplex fuerit consecratio, quia duplex consecratio solum facit vt sanguis bis constituitur, quando species seorsim existunt; quòd si reperiantur vnitæ, non obstat quo minus semel existat.

Aduerte, partibus separatis, Christi corpus diuersis actionibus conseruari idque sine miraculo, sed maxime conformiter naturis rerum, secundum quas, quod existit discontinuè, conseruatur pluribus actionibus, vt videmus in ligno, cuius partes vnitæ conseruantur vna actione, seorsim verò existentes, non nisi pluribus actionibus totalibus.

Dices potest actio replicari

Resp. vt possit, id non esse asserendum, cum non possit replicari sine miraculo, quod cum non sit necessarium huic mysterio, quando partes seorsim ponuntur, dicendum Dominum Deum conformi-

ter naturis rerum corpus Christi conseruare pluribus actionibus, quemadmodum si lege fixâ decreuisset animam non solum conseruare vnitam corpori, sed etiam brachio &c. sine miraculo per nouam actionem conseruaret cum brachio à corpore separato

ARTICVLVS IV.

Verum tota quantitas dimensua corporis Christi sit in hoc Sacramento?

RESPONDET esse ex vi realis concomitantie, Resp. affirm. quæ resolutio supponit quantitatem Christi inueniri in hoc Sacramento, de quo tamen sit

D V B I V M I.

Num corpus Christi in Eucharistia habeat quantitatem?

D V P L E X est hac de re sententia.

Prior negat, Dur. dist. 10. quaest. 2. Gab. quaest. vnica art. 2. & in can. Missæ lect. 43. littera O. Ocham in 4. quaest. 4. quamuis ex diuersis principijs. nam Dur. distinguit quantitatem à substantia, tanquam rem à re, alij solum distinguunt ratione, qui proinde minus conformiter suis principijs procedunt: nam si quantitas sola ratione distinguatur à re quanta, non apparet, quid fieri possit vt res existat sine sua quantitate.

Posterior sententia asserit corpus Christi etiam in Eucharistia habere quantitatem. ita communissimè Doctores cum D. Tho. hic & alibi.

Quæ sententia est omnino verior

Notandum 1. corpus Christi, quod in hoc Sacramento existit modo indiuisibili & spirituali, non habere extensionem partium in ordine ad locum, quia per huiusmodi extensionem partes constituantur extra se inuicem localiter, quod repugnat modo existendi indiuisibili. Cum verò ea sola dicantur se cum alijs penetrare, quæ existunt cum huiusmodi extensione, sequitur corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, non se penetrare cum speciebus: nam quod penetratiue ponitur cum alio, debet poni eodem loco cum illo, retentâ vtriusque actuali extensione in ordine ad locum.

Sequitur 2. partes eiusdem corporis, prout in hoc Sacramento existunt, se inuicem non penetrare, cum non existant modo quantitatiuo. Sequitur 3. idem corpus, prout est in hoc Sacramento, propriè non posse dici maius, vel minus, vel etiam æquale speciebus, quia corpus Christi, prout est sub speciebus, non est illis commensurabile, quod requiritur, vt aliquid sortiatur huiusmodi denominationes respectu alterius.

Notandum 2. illud tamen corpus prout existens in hoc Sacramento, habere totam suam molem, & partes non confusas, sed inter se vnitas & organizatas, atque adeò dici posse habere figuram intrinsecam & organicam, quæ secundum naturalem exigentiam postulat sitalem extensionem, seu in ordine ad locum.

Suppono quantitatem non esse extensionem localem, quod communissimè traditur in Philosophiâ, & videtur omnino parere, quia nullo modo videtur concedendum quantitatem toties mutari, quoties mutatur extensio rei in ordine ad locum: pannus enim non acquirit nouam quantitatem